

alii omnes, qui Germanice scribunt, non dubitant Principes nostros appellare *Euer Liebden*. Rex autem Poloniae, qui Latine scribit, *Fratres* vocat, nullo Electorum ac caeterorum Principum discrimine: (Das Gegentheil siehe in LÜNIGS *Theatr. Cerem. im Cantzl. Ceremon. p. 118. 119.* des Teutschen *p. 129. seqq.* nicht zu gedencken.) idem fecit Venetorum Dux, Regiam licet personam referens, literis ad Lunæburgenses scriptis, cum Respublica pro auxiliis gratias ageret. Gallia haud dubie olim *Fraternitatem* Principibus Germaniae negavit, quod ab illis non reciperet *Maiestatem*, sed tantum *Regiam Dignitatem*: novissime cum Electoribus quodammodo ita transegit circa Pacis Monasteriensis tempora, ut Rex, ab ipsis *Maiestatis* appellatione cultus, ipsi redderet nomen *Fratri*, quo artificio effectum est, ut Principes, exemplo Electorum velut tracti, *Maiestatem* darent, nec *Fraternitatem* vicissim stipularentur. In quo Principum nostrorum facilitas apparuit, qui nunquam decorum putavere, contendere de nugis; itaque facile inducti sunt, ut Reges Galliae Angliaeque *Maiestatis* nomine salutarent, licet ipsi tantum *Cognatorum* appellatione resalutarentur. Quoniam rara plerisque Eorum cum Exteris commercia & animus ambitione vacuus rerumque medulla contentus, verborum inania spernebat. Nunc, ubi facilitatem suam verti in ipsos, & argumenta, inepta sane, à sua patientia duci vident; credibile est, Iuris imposterum tenaciores fore, nec, nisi illis Regum adscripturos *Maiestatem*, qui *Serenitatem* & appellationem *Fratri* reddent. Nec vero est, cur Galli *stylum veterem ingerant*; cur enim erga Electores & plerosque alios mutavere? an hoc in sua potestate esse putant, distinguere eos, qui pari Iure utuntur? quicquid in publicis solemnibus uni conceditur, reliqui eiusdem conditionis recte sibi vindicant. Nam cum honor in comparatione consistat, unum Sociorum infra caeteros honorare, est contumelia afficere. Et quis ferat, magnum Germaniae Principem, nullis Regibus specie dignitatis, nonnullis nec potentia, cessurum à Rege appellari *Cognatum*, (*mon Cousin*,) tantisper, dum quidam Galliae Domicelli, Regi sine conditione subiecti, nudius tertius nati Duces, aut Mareschalli, cum quibus multi Germaniae Nobiles conditionem non mutant, eadem appellatione honorantur. Nam quod olim Duces Paresque Coronae *Cognati* Regum appellabantur, non miror; nam erant certe plerisque Regibus sanguine iuncti, ingentium ipsi Regionum Domini, ut Dux Burgundiae, Neustriae, Aquitaniae, Comes Flandriae, Tolosae, Campaniae, quorum hodierni Duces ac Pares ne umbra sunt quidem. Alioqui *Cognati* appellatio perhonorifica est; nec semper Superioris, ad Inferiorem, sed aliquando contra Inferioris erga Superiorem; cuius rei exemplum habemus non iniucundum ex relatione Legationis nuperæ, quam Baro Bottonius Cæsaris nomine in Moscovia obiit. Nam cum ipse Czarius nuper defunctus Cæsarem *Fratrem* nominaret, *Filius Czarii*, (qui nunc regnat,) Eundem Cæsarem tunc appellavit *Cognatum*, recte profecto, quippe Patris sui *Fratrem*. Porro non habent Galli, cur Cæsaris exemplo utantur, qui Principes Imperii non utique vocat *Fratres*, fateor sane, sed

nec